

DISSERTATIO ACADEMICA

9.

DE

S P E C I E B U S
S O L U T I O N I S
C H E M I C Æ ,
Q V A M

C O N S . A M P L I S S . F A C . P H I L O S . A B O Æ N S .

P R Ä S I D E

Mag. JOHANNE GADOLIN,

DESIGN. CHEM. PROF. REG. & ORD. REGG. ACADD. & SOCIET. SCIENT.
HOLMENSIS DUBLINENSIS & UPSALIENSIS, NEC NON SOCIET. MED.
CHIR. & PHARMAC. BRUXELLENSIS! MEMBRO,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT,

M I C H A Æ L S T L V É N,

Stipend, Reg. Satacundensis.

In Auditorio Minoris Die 21 Decemb. 1797.

HORIS A. M. SOLITIS

ABOÆ TYPIS FRENCKELLIANIS.

à

Monsieur

ADOLPHE C.

NORDENSKOLD.

Lieutenant Colonel de la Fortification Royale, & Chevalier de l'Ordre de l'Epée,

&

à

Monsieur

CHARLES LILLJEBORG

Major de la Flotte de l'Armée Royale & Chevalier de l'Ordre de l'Epée.

Mesieurs!

Vos merites distingués, Messieurs, les vastes connaissances que Vous possédez, & la protection, que Vous accordez à ceux qui s'adonnent aux lettres, Vous ayant aquis non moins l'estime publique, que de tous ceux, que Vous avez honoré de Vos bienfaits particuliers; je serois inexcusable, si je n'en sentois une très vive, moi, qui en ai tant profité. Permettez moi donc, Messieurs, qu'en ornant de Vos Noms illustres ce petit ouvrage, je Vous temoigne en même tems mon respect profond, Vous assurant, que Vos bontés, dont j'ai recu tant de marques, ne seront jamais effacées de mon coeur reconnoissant, & je m'en fais un Honneur marqué ainsi que du bonheur de pouvoir m'appeler,

Mesieurs,

*Votre très-humble & très-obéissant
serviteur
MICHEL SYLVÈN.*



DE
SPECIEBUS SOLUTIONIS CHEMICÆ

§. I.

Solutio sicca, humida, vaporosa.

Cum inter *aetiva*, olim sic dicta, *instrumenta*, Ignis & Aqua præcipua esse viderentur; operationes suas Chemici dividere soliti sunt in *siccas*, qvæ ignis sive fortio-
ris caloris ope perficiuntur, & *humidas*, quæ per aquam
vel corpora aquosa absolvuntur. Sic *humidas* esse, vel
via humida institui dixerunt *solutions*, quæ in aqua, sale
aqua diluto, spiritu vini, oleo, aliove menstruo, cui
aquaq; aliquid inesse crediderunt, fiebant; & has qvidem
in temperatura caloris, æstum aquæ ebullientis non supe-
rante, perfici oportere statuerunt, qvoniam pleraque ho-
rum menstruorum superiorem caloris gradum sustinere
nequeunt. *Solutions* autem *siccas*, sive qvæ inter corpo-
ra sicca obtinent, per caloris vim absolvi judicaverunt,
qvoniam vix aliter, quam in vehementioribus ignis gra-
dibus succedunt. Hydrargyrum inter corpora sicca unicum
esse videbatur, qvod etiam in vulgari atmosphæræ tem-
peratura alia solvere valet corpora, in primis metalla; quam-
obrem etiam has *solutions*, quasi neutras, singulari no-
mine *Amalgamationis* a ceteris distinxerunt.

Liqefactiones corporum solidorum per ignem inter
solutions non numeraverunt, qui incrementum ponde-
ris pro criterio veræ *solutionis* habuerunt, qvia hoc in

corpore liqvesfacto non observatur. Alii vero cum non dubitarent, qvin causa phenomenorum Ignis vel caloris in materia singulari subtilissima lateat, eandem quoque menstrui nomine non indignam esse censuerunt, propter ea que veras fieri solutiones corporum, quoties haec formam solidam cum liquida commutant.

Recentiores Chemici de eo persuasi, quod omnis liquida vel fluida forma corporum, a materia caloris, quam nomine *Calorici* distingunt, dependeat, hanc materiam, proinde promenstruo corporum universali habent. Si vero quod valde probabile nobis etiam videtur, nulla solutio corporum absque calorico fieri queat; maxime naturalis videtur esse distributio solutionis, quæ diversas spectat formas corporum per caloricum divisorum, *liquidam* scilicet & *fluidam* sive *vaporosam*. Solutionem itaque *liquidam* dicimus, qua corpus solvendum formam liquidam nascitur, & *vaporosam*, qua sub forma aëris idem comparet. Illam, more dudum usitato, dividere liceat in *siccum* & *humidum*, prò diversitate menstrui.

Quia vero per experimenta recentiorum Chemicorum dubium est, utrum aqua revera partem efficiat, omnium corporum, quæ humida dixerunt antiqui, quod per combustionem destructa partes aquosas exhiberent, in iisdem autem semper hydrogenium, sive basin aquæ, hærente, certum est; itaque, ne nimis a vulgari loquendi usu discedamus, ad *humidas solutiones* referimus omnes, quæ per menstrua liquida hydrogenium foventia perficiuntur; & *siccas* e contrario vocamus, quæ vel per caloricum solum fiunt, vel per menstrua quæcunque in quibus nihil hydrogenii adeat.

§. 2.

Solutionis siccæ Species:

Inter siccas solutiones Chemici distingvere solent eas, quibus leviter tantum per ignem transformari videntur corpora, adeo ut, remittente calore, pristinam sensibus exhibeant indolem, ab iis, quibus corpora soluta prorsus novantur. Priorēs, qvæ potissimum fiunt, ubi corpora solidā homogenea per ignis vim in liqvida mutantur, distribuere solent in *liquefactiones & fusiones*. Posteriores, ubi corpora a pristina indole recedunt, in *Vitrificationes & Scorificationes* dispescuerunt.

Nomine *liquefactionis* intelligitur solutio liqvida corporis a calorico, qvæ in minore ccloris gradu, æstum scilicet aquæ ebullientis non superante, obtinet. Huc pertinet conversio Nivis in aquam, liquefactio Phosphori, Ceræ, Sulphuris & cetera. Huc quoque referri solent *amalgamationes*, sive metallorum solutiones in hydrargyro, qvæ in vulgari aëris temperatura succedunt; atqve liquefactio mixti ex Eismutho, Stanno & Plumbo, quæ, antequam ebullit aqua, liquefunt. Nonnulli tamen omnes Metallorum liquefactiones, fusionibus adnumerandas esse voluerunt.

Fusiones appellatae sunt operationes, qvibus per vehementiorem ignis vim liqvidam formam acquirunt corpora. Speciatim quidem fusiones nominatae sunt, qvibus Metalla liqvantur; sed in latiore sensu sumtæ eadem quoque complectuntur liquefactiones corporum salinorum, vitreorumqve vel terreorum, diversorum corporum liquefactions cum Sulphure, & sic porro.



Vitrificationis nomine distingunt operationem, qva plures terræ, salia vel oxida metallica inter se mixta ita liquantur ut in corpus coēant homo geneum, pellucidum, durum & friabile; quemadmodum *Vitrum ex Sale Alkalino-fixo* cum terra silicea conflatur. Qvod si vero vel propter deficientem gradum caloris vitrificationi necessarium, vel per naturam mixtorum, corpus compositum, opacum & inæquale evadat, *Scorificationis* nomine venire solet operatio; sic plures terræ inter se tantum mixtæ, vel terræ cum oxidis Metallorum mixtæ ut plurimum in scorias vertuntur opacas.

Qvamvis in omnibus fusionibus vel liqvefactionibus corporum solidorum, caloricum pro vero omnium menstruo habeatur; attamen, cum plura corpora commixta permutas actiones efficiant, ut liqvefactio vel retardetur vel acceleretur; plerumqve uni illorum menstrui nomen attribui solet, a qvo reliqua solvi dicuntur. Sic sèpius menstruum dicitur corpus, qvod si solitarium esset, facillime omnium liqvesceret. Idem qvoqve *Fluxus* appellatur, ubi, vi attractonis mutuae, alia corpora ad liqvefactionem magis prona reddit. Sic in Amalgamationibus pro corpore solvente habetur hydrargyrum, in vitrificationibus pars vitr salina, &c. Interdum vero menstruum dicitur, qvod reliquias mixti partes vel copia vincit, vel saltem cuius natura in corpore composito eminet. Sic Sulphur a Sale Alkalino solvi dicitur, qvoniam compositum *sulpuretum* proprietates habet salinas, utpote in aqua solubile. Qvod si vero neutrum corporum commixtorum, neqve fusibilitate, neqve proprietatibus in mixto conspicuis, reliquis præcellere videatur, cum neutri activa virtus tribui possit, a calorico tantummodo, ceu menstruo communis omnia æqualiter solvi censemur, ex. gr. ubi plures terræ simpli-

ces, quarum singulæ omni ignis gradu pertinaciter resistunt, facta mixtione, vitrificantur..

§. 3;

Solutionis humidæ Species.

Solutiones humidæ pro diversitate menstruorum in aquosas, spirituosas, oleosas, salinas &c. dividuntur. Quatuor singulæ ulterius in varias species subdivisiæ sunt:

- A) *Solutiones immersivas* dixerunt, qvibus corpus a liquore menstrui, in qvod commisum est, solvitur; quem admodum sal solidum aquæ additum, vel sulphur oleis inditum pedetentim suscipitur solviturque.
- B) *Deliquationes*, ubi corpus aëri atmosphaerico humido expositum, tantum inde attrahit aquæ, ut in solutionem liquidam abeat. Corpora, qvæ hæc virtute gaudent, deliquescentia dicuntur, qvorum maximum numerum Salia exhibent.
- C) *Extractiones* generatim appellantur operationes, qvibus aliquæ tantum corporis cujuscunq; partes a menstruo suscipiuntur: speciatim vero, qvibus per aquam aut Alkohol tentantur corpora organica, proindeque in aquosas, spirituosas & mixtas distresci solent. Respectu autem alio extractiones generatim sumitæ ulterius distribuuntur in:
 - (a) *Decoctiones*, qvæ per ebulliens menstruum peraguntur, ex gr., ubi juscum ex carne paratur, vel ubi ex ptisana succus quo cerevisia formatur, vel ubi potus ex coffeea usta extrahitur.
 - (b) *Infusiones*, ubi in minore caloris gradu cum menstruo tractatur corpus extrahendum. Et hæ quidem dividi solent in *calidas*, qvæ interdum quoque *dige-*

fliomum nomine veniunt, atqve *frigidas*, qvas *macerationes* alii appellaverunt. Hæ vero loco decoctionum eliguntur ubi volatiles sunt partes extrahendæ, qvæ facile cum vaporibus aqvæ ebullientis abirent. Sic per infusionem calidam paratur potus Theæ, infusionem sennæ &c. Per frigidam vero infusionem extrahuntur corpora, qvorum partes in frigore solubiles solas extrahere volumus, & ab iis separare, qvæ non nisi juvante caloris gradu elevatione solvi possunt. Ad extractiones quoqve pertinet.

(c) *Elixivatio*, qva salina pars alicujus corporis per aqvam extrahitur, ut habeatur solutio salina, aq; qva iterum sal depuratum secerni possit. ex. gr. ubi cineres vegetabiles per aqvam extrahitur, eum in finem, ut habeatur sal alkalimum vegetabile.

(d) *Elutriatio*, qvæ a præcedente non differt, nisi respectu finis, propter quem instituitur; nempe ut habeatur corpus residuum, in aqva non solvendum ab omni solibili depuratum. Sic ex. gr. I triantur cineres vegetabiles, qvo ad cupellas formandas materiam idoneam præbeant; Pariter eutriatione præcipitata chemica ab inquinamento salino depurantur. Eadem operatio usu venit in fabricis amyli aliisque multis. Hæc quoqve nomine *Edulcorationis* venire solet, in primis ubi pars solubilis removenda corrosivam habet naturam, quæ vel per aqvam vel per Alkohol vini secernitur, remanente parte quasi dulcificata.

D) *Dissolutiones*, de qvibus in §. Vta agemus

§. 4.

Solutionis Vaporosæ Species.

Solutiones, qvibus formam fluidam elasticam nanciscitur corpus solvendum, convenienter distribui yidentur in

in Simplices, ubi agente calorico, corpus solidum vel liquidum in vapores resolvuntur, & *Compositas*, ubi, juvante simul attractione corporum mutua, elasticitatem acquirit corpus solvendum.

Ad *simplices* itaque pertinent solutiones, quas vulgariter nomine *evaporationes* appellamus, quibus frequentissime utuntur Chemici tam ubi vaporando in auras abire faciunt partes corporis volatiles, ut fixae remaneant solitariae, ex. gr. cum exsiccanda sunt corpora madida, vel familia fixa in cristallos redigenda & cetera; quam ubi corpora per ignem in vapores redigere volunt, ut a corporibus fixis separari & seorsim colligi possint, quemadmodum in vulgaribus distillationibus vel sublimationibus peragitur negotium.

Compositæ quidem solutiones vaporosæ nondum satis examinatae sunt; nonnullas tamen, quæ cognitæ sunt, recentere juvabit:

1:o *Per vapores aqueos* non raro videmus partes corporum fixorum solutas in auras abire; observatum namque dudum fuit solutionem potassæ, evaporante aqua, vapores quoque alkalinos exhibere Idem solutionibus acidorum evenit, quorum nonnulla, quantumvis igne fixa, pro volatileibus habita sunt, quoniam per vapores aqueos evahi possunt, ex. gr. Acidum Boracis, quod addito paucilio aquæ, sublimatione ab aliis corporibus separatur. Similiter aqua terris acido carbonico onustis, hoc acidum per vim ignis aliter vix separandum, secum rapit.

2:o *Per Vapores salinos* alia corpora non raro volatile fieri videmus, ex. gr. vapores Acidi Muriatici plura Metalla volatile reddere, dia cognitum fuit iis, qui sic dicta

dicta butyra Antimonii, Zinci, Arsenici &c. distillatione paraverunt; pari quoque ratione sulphuretum ammoniacæ s. hepaticum volatile per distillationem habetur ex sulphure in ammoniacal s. fale alcalino volatile vapooso soluto.

3:0 Varias denique aeris species alia corpora suscipere nemo dubitat, qui aerem s. d. palustrem carbonium in aere inflammabili (s. gas hydrogenio) solutum continere, qui aerem s. d. hepaticum ex sulphure in eadem aeris specie soluto nasci novit. Neque dubium est diversas aeris species sece mutuo suscipere & solvere, immo aerem nostrum atmosphaericum ex duobus gatis chemice unitis conflatum esse, satis inde patet, quod haec duas partes, non obstante diverso pondere specifico, æquali fere ubique proportione mixta sint.]

§. 5.

Dissolutiones.

Voces *Solutio* & *Dissolutio*, quas promiscue adhibuerunt alii, ad significandam eandem operationem alii sollicite distingvendas esse censuerunt, ut diversas solutionum species exprimerent. Neque tamen omnes consenserunt de explicatione hinc vocibus tribuenda. Alii namque solutionem proprie dici voluerunt operationem, qua apparet tantummodo vel superficialis oritur corporum combinatio; ideoque corpus solvens non menstrui sed vehiculi nomine dignum judicaverunt. Corpus vero solutum vi caloris sub solutione, in partes minutissimas divisum, in vehiculo dispersum, propter tenuitatem partium suspensum teneri.

Solutions vero tales, a dissolutionibus, quibus arctius conjungantur corpora sece fortiter attrahentia, facile discerner-

nendas esse ex frigore sub operatione exerto, quo indicitur caloris materiam solam menstrui vices agere. Sic Salia composita ab aqua soluta, revera per caloricum dissolvi, in aqua autem seu vehiculo suspensa teneri, putaverunt, simili terque alia corpora, quæ per refrigerationem aliterve, sponte quasi sua a corpore solvente iterum separari videntur (a).

Alii contra cum Cel. MACQUER (b) statuerunt nullam differentiam vocum ex eo capite faciendam esse, quod interdum minore, interdum majore vi sele attrahant corpora, cum in neutro casu vera solutionis chemicæ critera desiderentur; si enim propter inæquales vires conjungentes alia composita aliis imperfectiora judicanda essent, certe non duo tantum, sed numero fere infinita solutionum genera distingvenda essent, cum vix duo exhiberent corporum paria, in quibus attractionis vim exacte æqualem esse pateat.

Ex hac ratione alii, nulla licet habita ratione magnitudinis virium attrahentium, ne tamen duplii verbo profus eandem significationem tribuerent, vocem *Solutionis* latiore sensu sumserunt, eiusque nonnullas species Dissolutiones appellaverunt. Sic Cel. SCOPOLI (c) specialibus suis nominibus nuncupandas esse voluit omnes solutiones, quæ talibus nominibus vulgo distingvi solent, ut *Fusiones*, *Amalgamationes*, *Extractiones* &c. reliquias omnes dissolutiones nominandas esse, ex gr. quibus menstrua aquosa, salina vel phlogistica, alia corpora integre solvunt.

Alii eam adhibuerunt differentiam vocum, ut *solutione* simpliciter conjungi intelligatur corpus solvendum

B

cum

(a) *De Marthy Observations sur le froid produit par certains opérations chymiques.*

(b) *Dictionnaire de Chymie.*

(c) *Fundamenta Chemica.*

cum menstruo, a qvo, idoneis applicatis viribus, separatum, iterum sub forma pristina compareat; *Dissolntio-*
ne vero non tota corpora coire, sed qvandam alterutrius
 saltem partem e societate reliqvarum partium excludi.
 Sic *creta* ex. gr. in acido nitrico dissolvi diceretur, qvia
 expulso acido carbonico, qvod in *creta* latuerat, terra
 solummodo calcarea pura cum novo acido jungitur. Ne-
 que tamen hæc distinctione omnibus placuit, siqvidem ra-
 ro adeo simpliciter duo corpora confociari videantur, qvin
 aliquæ partes, subtilissimæ saltem & sensus facile fugien-
 tes, qvalis est caloricum, fecernantur, vel saltem alia pro-
 portione in composito remaneant, qvam qva antea ad-
 fuerant. (d)

Convenientissima videtur esse, si aliquæ inter has vo-
 ces est statuenda differentia, interpretatio quam dederat
 Ill. LAVOISIER; qvi *dissolutiones* appellatas voluit illas so-
 lutiones, qvæ non succedunt nisi & destruatur pars men-
 strui, & per adjunctam sibi partem menstrui decomposi-
 ti in aliam formam transeat corpus solvendum. Talia
 phænomena in primis obveniunt, ubi Metalla ab acidis
 suscipiuntur; acidum namqve Metallum integrum solve-
 re neqvi, oxidatum vero plerumqve facile suscipit. Itaque
 ubi ex destructa parte acidi oxidatur metallum, atqve de-
 inde in parte acidi non mutata solvitur, vera obtinere
 censenda est dissolutione. Similiter Sulphur & Phosphorus a
 nonnullis acidis dissolvuntur.